



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. X. Vtrum temporalia bona cadant sub merito?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ARTICVLVS X.

Utrum temporalia bona cadant sub merito?

232.

Pro resolutione hujus difficultatis breuiter obseruandum est, bona temporalia dupliciter posse considerari, nempe secundum se, & prout conducunt ad vitam aeternam. Recolenda est etiam divisio meriti in meritum de condigno, quod est tale simpliciter, & in meritum de congruo, quod comparative ad meritum de condigno, est meritum imperfecte tantum & secundum quid. His praemissis.

233.

Dico primo: Si bona temporalia secundum se spectentur, iustus ea non meretur de condigno. Ita D. Thomas hic art. 10.

Probatur primo: De ratione meriti de condigno est quod ordinetur ad praemium, tanquam medium ad finem, & via ad terminum: Sed bona opera iustorum, à gratia & charitate procedentia, cum sint ordinis supernaturalis, nequeunt ordinari ad bona naturalia & temporalia, tanquam ad finem & terminum: Ergo iusti per bona opera talia bona de condigno non merentur, nec illa apud Deum proprie computantur iustis in praemium, sed quando expedit, quasi pro corollariis dantur juxta illud Matt. 6. *Hec omnia adjicientur vobis.*

234.

Confirmatur: Meritum de condigno, & praemium, debent esse ejusdem ordinis: Sed bona temporalia, & bona opera iustorum, à gratia & charitate procedentia, sunt diversi ordinis, cum illa sint intra ordinem naturae, ista verò pertineant ad ordinem gratiae: Ergo, &c.

235.

Probatur secundo: Si iusti bona temporalia secundum se spectata de condigno mereretur, cum meritum de condigno Deum infallibiliter consequatur suum praemium, iusti semper plus haberent bonorum temporalium quam peccatores: cuius tamen oppositum quotidiana demonstrat experientia; bona enim temporalia & mala similiter se habent ad bonos & malos, secundum illud Eccles. 9. *Universa aequè eveniunt iusto & impio, bono & malo mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.*

236.

Dico secundo: iustus potest sibi bona temporalia secundum se spectata de congruo promereri. Ita D. Thomas articulo citato, ubi sic loquitur:

A tur: Si autem considerentur huiusmodi bona secundum se, non sunt simpliciter bona hominis, sed secundum quid, & ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid: At meritum de congruo est meritum secundum quid: Ergo ex D. Thoma iusti possunt mereri de congruo bona temporalia, secundum se spectata. Imo etiam ipsi peccatores, per opera bona moraliter, talia bona de congruo interdum merentur, ut idem S. Doctor affirmat in 2. distinct. 27. quaest. 1. articulo 4. dicens: *Frequenter, ut Gregorius dicit, Deus in hoc mundo remunerat eum qui praemium futurae gloriae non meretur, ut nullum bonum irremuneratum inveniat.* Et lib. 3. de regimine Principum cap. 5. 4. & 6 cum D. August. in libris de civitate Dei ostendit Romanos mundum subjugasse, & dominium ac imperium meruisse, ob amore patriae, zelum iustitiae, & singularem pietatem, ac civilem benevolentiam.

Dico tertio: iustus potest de condigno mereri bona temporalia, secundum quod ad vitam aeternam conducunt. est etiam D. Thomas art. citato dicentis. *Temporalia bona, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam aeternam, directe & simpliciter cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiae, & omnia alia, quibus homo ordinatur ad perveniendum in beatitudinem.*

C Ratio etiam id suadet: Eodem enim merito quo quis meretur finem, meretur etiam media conducentia ad talem finem: Sed iustus per bona opera meretur finem: nempe vitam aeternam, merito de condigno: Ergo eodem merebitur bona temporalia, prout ad vitam aeternam conducunt.

Nec obstat quod bona temporalia, secundum se considerata, non sint simpliciter bona, sed solum secundum quid: cum hoc enim stat, quod si spectentur, prout sunt media ex divina ordinatione iustos conducentia ad beatitudinem, sunt simpliciter bona: medium namque participat bonitatem finis, & sic quando finis est simpliciter bonus in se, media dici possunt simpliciter bona; beatitudo autem est simpliciter bona.

Sed hic breuiter observandum est cum D. Prospero sentent. 212. quod Deus non semper confert ea bona temporalia quae postulamus, sed vel illa, vel alia magis ad salutem & vitam aeternam conducentia: *Fidelis (inquit) supplicat pro necessitatibus huius vitae, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur: quid enim infirmo fit utilius, magis novit medicus quam aegrotus.*